

Christi custos, et nos conventus Rhodi domus eiusdem universis et singulis, presentibus et futuris, has nostras litteras visuris, audituris lecturisque notum facimus, quod, cum venerabilis ac religiosus in Christo nobis precarissimus Frater Michael de Castellatio, utriusque iuris doctor ac nostre urbis Rhodi iudex appellationum⁸², missus per nos visitator, corrector et reformat prioratuum nostrorum Alamanie, Hungarie et Boemie, a dicta sua visitatione ad nostrum Rhodi conventum de mense Septembris anni Domini millesimi quadringentesimi quinquagesimi redisset, congregato consilio nostro ad audiendum relationem gestorum per eum in dicta sua visitatione inter reliqua quandam obligationem fratris Engellardi Schenk domus sive preceptorie nostre sancti Petri in Charniola⁸³ prioratus nostri prefati Boemie preceptoris⁸⁴ subscriptam manu propria ipsius fratris Engellardi in sermone Alamanico et bullatam bulla dicti prioratus baiullie Austrie, cuius obligationis tenor sequitur et est talis, videlicet:

IN NOMINE DOMINI AMEN. Anno Domini millesimo quadringentesimo quadragesimo octavo, die vero decima mensis Decembris cum reverendo patre et domino fratre Michaele visitatore prioratuum Alamanie, Boemie et Hungarie etcetera convenit frater Engelhardus Schenck, commendator domus sancti Petri, in presentia fratris Laurentii Herttenfelder, commendatoris in Furstenfeld^a et locumtenentis ac procuratoris domini prioris Boemie, ac totius capituli et fratrum omnium ibidem congregatorum et mei fratris Sebaldi Puchel, scribe et cancellarii capituli electi et specialiter deputati per ipsum dominum visitatorem, locumtenentem et capitulum ad actus capitulares et alias negociationes et contractus fratrum etcetera ad hec pacta videlicet, quod idem frater Engellardus obligat se et promittit dare et solvere venerabili fratri Andree preceptori Wienn. ac procuratori et receptori responsionum et aliorum iurium communi tesouro conventus Rhodi debitorum ac debendorum deputato per prefatum dominum visitatorem de ac cum voluntate reverendi patris domini prioris Bo-

a) *danach o radiert*

82) Fr. Michele da Castellaccio: SARNOWSKY (wie Anm. 10) S. 665.

83) Slowenisch Šentpeter na Krasu, italienisch San Pietro del Carso, heute slowenisch Pivka.

84) Fr. Engelhard erhielt St. Peter in Krain, das vakant war durch den Tod des Fr. Konrad von Blumberg (siehe oben Nr. 4), im Jahr 1444: AOM 356 fol. 119r–v vom 11. Juni, ebd. fol. 122r vom 30. Juni, und Erlaubnis zur Reise nach St. Peter fol. 126v vom 30. September. Vgl. BORCHARDT (wie Anm. 9) S. 194 mit Anm. 16.